

FRIDERICO LUCAE,
DECANO COLLEGII S. ELISABETHAE
NOMINI ROTENBURGI AD FULDAM DICATI POLY-
HISTORI PERCELEBRI.

S. P. D.

J. J. W.

cumque consulit

De

**RATIONE PUE-
RUM MEDIOCRIS
INGENII,**

Discendique cupidum sex mensium spa-
tio perfectè docendi Latinam Linguam, ad lo-
quendum & scribendum, nec minùs historiam rerum natura-
lium & artificialium quoad potissima capita, item Doctrinae
moralis, ejusque historiae, nec non Geographiae & Genealo-
giae partem non contemnendam.

Ubi quoque fit mentio Methodi, qua
Professor quidam Regius Parisiensis usus ma-
gnum ubique nomen, alteri nimirum Ciceronis
consecutus est.

Coll. diss. A
25, 58

ALTENBURGI, Literis Joh. Gothofr. Richteri, 1703.

~~21.~~

a. CXXV. 58.

Q. D. B. V.

Ngens Tui desiderium me cepit, Clarissime Lucae, ex quo Tecum verba faciendi copia mihi data est. Emolumentum enim magnitudo incommodum, quod inde animum meum irrepsisse credunt, multis modis superat. Accepto scilicet subinde de praestantissimis autoribus Iudicio tuo, cum tecum me quotidie in bibliothecam Serenissimi Principis Gotensis abderem, formato de omni studiorum genere, Theologia quoque, & variis in ea sectis, earumque formulis, colloquio, tantum profeci, ut contempnam planè contumeliam, quam propterea nonnulli mihi faciunt. Quidam enim non nisi in legendis quotidie meditationibus aliorum oratoriis de certis sacri codicis partibus, quas Postillas barbarè vocant, occupati, & sine scientia, quam Paulus inflare dicit, inflati, metantum non pro Hæretico habuerunt. Sed tantum abest, ut hæc injuria me fregerit, ut animum potius singulariter erexerit. Hinc non dubitavi quas vides ad te dare, & quid de ratione puerum sex mensibus latinam linguam ad loquendum & scribendum perfectè docendi sentias, expectare. Cum Parisiis hærerem, famâ de Professore quodam rationem modò dictam gloriante ad me perlatâ, ut, si quid veri subesset, cognoscerem, vehementer dedi operam. Adibam virum illum doctissimum, quem alterum Ciceronem

VO-



vocant, discipulum me fore promittens, si quod fama evulgasset, præstare posset, & qua ratione id fieri posset, saltem breviter delinearet. Ducentos enim & quinquaginta aureos Rhenos pro didactro postulare ferebatur. Sed ut sunt magnorum hominum ingenia, latebras habent & recessus, quasi velis obtenditur natura plura cogitando consequi quam auribus oportet. Utroque igitur facto summam, quam in sequentibus videbis, collegi. Ad te verò potissimum scribere volui, quod & de hoc studiorum subsidio acutissimè te disserentem memini; igitur censuram tuam cum voluptate semper accipiam.

Reqvirimus in puero ad minimum ingenii mediocritatem discendique ardorem, nec minus, ut antequam hanc viam ingrediatur, voces latinas efferendi & secundum varios casus, modos & tempora flectendi rationem didicerit, item ut Magister puræ & quæ maximè floruit latinitatis gnarus sit, aut quia non ubivis terrarum Cellarios & Grævios invenire licet, ut ex optimorum autorum lectione suum dicendi genus quotidie limet, & quicquid barbari subesse deprehenditur, fideliter excindat.

Ut puer distinctam & claram de octo partibus orationis notitiam consequatur, monstrantur ipsi quædam res, quæcunque sint, verbi causa homines. Quærat quid in iis observet. Ubi inter alia respondebit licet vernaculâ, esse proceros, pingves, humerosos; heic vox, Homo, Nomen, Procerus autem Nomen Adjectivum vocari dicatur. Perget puer dicendo: homines videre, audire, verberare & verberari,

quæ vocabula verba appellari dicantur. Monstrentur deinde aliquot homines, quorum unus alterum corporis proceritate superat, ubi puer dicet, unum esse procerum alterum proceriorem tertium procerissimum; heic gradus Positivus, Comparativus &c. explicentur. Quæratum num literas minutissimas legere possit, & num senex idem æque possit, ibi respondebit, quod senex non æque acriter contemplari possit ac puer; heic vocabulum acriter modum actionis exprimere & Adverbium dici.

Monstrentur variæ res, quarum una ante vel post alteram, item vestis pueri ex panno confecta, & has voculas Præpositiones dici, doceat Magister. Porro hunc & illum librum ad fratrem pueri pertinere, ubi Conjunctiones & Pronomina in animum imprimantur. Tandem monstrata reinusitata & insolita puer exclamabit eheu &c. quod Interjectio vocatur.

Scilicet octo partes orationis inde ducuntur, quod omnia dividantur in Res, & varios eas considerandi modos, qui vel proprietates vel actiones dicuntur, unde Nomina, Adjectiva & Verba: Proprietates suos habent gradus, inde Positivus &c. In actionibus alter agit, alter recipit seu patitur, inde Activa Passiva &c. Proprietates diversimode insunt & actiones diversimode fiunt, inde Adverbia. Ex rerum, earumque proprietatum vario situ, compositione & divisione, item quod proprietates de rebus dicantur, & proprietates proprietatibus comparentur, singula verò secundum diversos animi motus variè efferantur; Præpositiones, Conjunctiones & Interjectiones proficiuntur.

Cum

Cum à facilioribus semper sit incipiendum, difficilior doctrina de participiis, Gerundiis, Supinis & Infinitivis perfunctoriâ tantum operâ tractetur, donec in progressu possit interseri.

Omnia in res & proprietates dividi posse dictum est, quarum quædam monstrantur, quarundam autem imago animo pueri tantum depingi potest.

A facilioribus incipiendum; quæ verò subjiciuntur oculis, faciliora sunt reliquis, & eorum nomina cum voluptate discuntur.

Monstrantur primo quæ à naturâ producta sunt; *Quæ vel in superficie globi*, quem in media rerum universitate videmus, aquis distincti, ut Homo, bestia, fera, quadrupes, bipes, Zoophyta, ceu amphibium aut bestia anceps; horumque partes, caput, collum, manus, pes, scapula, interscapilium, scoptula, spina, vertebra &c. proponatur perspicuè differentia inter humerum, quod de hominibus & armum, quod de bestiis dicitur. Porro Plantæ hortenses & silvestres, arbores, frutices, herbæ, fruges, quæ siliqvâ, ut faba, pisum, ervum, vicium, cicer, lens, oryza, milium, & frumenta, quæ aristâ continentur, harumque omnium partes; ubi distinctè proponatur differentia inter caudicem vel stipitem, quod de arboribus, caulem, quod de herbis & culmum, quod de frumentis dicitur. Notet quoque differentiam stipitem inter & truncum: His adjicias montes, silvas, valles una cum eorum partibus.

In gremio terræ sunt metalla, aurum, argentum, electrum,

stannum, plumbum, æs cyprium, orichalcum, ferrum, ærugo quoque & ferrugo, ochra nativa & factitia seu plumbaria, minium nativum & secundarium.

Aqua dividitur in fluvios, torrentes, lacus, stagna, maria, oceanos &c. quæ varias habent partes, ostium, littus, alveum. A facilioribus incipiendum, ut horum ope de iis, quæ videri non possunt, effigies possit exprimi. In his, inveniuntur pisces, carpio, merula, mullus, eorumque partes, branchiæ, lubra, muria. Item monstra marina: Nymphæa, lepus marinus, Phoca, seu vitulus marinus, ursa seu pagurus aut gamma-rus. Item Concha, Ostrea, ubi notetur differentia, quod concha sit cochlea fluviatilis testa tenui & polita, ostrea verò marina, testa aspera. Cochlea verò testudo seu limax terrestris. Item murex ex cujus sanguine purpura efficiebatur.

Supra & Infra globum aër est, & in eo meteora, sidera, stellæ, planetæ &c. meteora ignita, fulmina tonitrua, stellæ cadentes, titiones, acontia, chasmata vel hiatus, candelæ, capræ saltantes, meteora aquosa, ros, pruina, nix, grando, nebula, caligo.

Quibus præmissis progrediamur ad proprietates: Nolumus autem Magistrum sequi nostrum hunc præcise ordinem; tribus enim aut quatuor nominibus rerum, memoriæ mandatis, statim ad earum proprietates harumque cum illis compositionem progredi poterit. Verum danda opera, ut verè latina proprietatum nomina imprimantur, ut dicat: homo procerus non longus &c.

Quærantur ex puero vocabula, quæ certas in homine proprie-

prietates exprimunt, ut procerus, humerosus, pingvis & occasio sumatur uberius dislerendi de Adjectivis, eorumque varia terminatione, jubeatur deinde componere proprietatem cum RE, hoc est Adjectivum cum Substantivo, idque secundum varios casus & numeros.

Ut de genere Nominum satis constet, explicentur regulæ laxiores de generi virili, muliebri & neutro partim ex significatione ut Nomina Virorum, &c. partim terminatione, ut Nomina in US, UM &c. desumptæ deinde singula nomina in compendio Grammatices exempli causa Seyboldi evolvantur, & tota semper regula una cum exceptis legatur, donec usu in memoriam inducantur. Idem faciendum in Compositione, quæ à communi regula aberrat.

Heic moneat Magister, hanc compositionem Adjectivi cum Substantivo esse facilem, quod ex una parte statim cognoscitur, quomodo altera componi debeat. Pergant deinde ad compositionem Nominis cum Verbo Est, postea cum Nominis & aliis Verbis, idque fiat secundum varia tempora & modos. v. g. homo est, fuit, erat, erit pingvis.

Adponas licet in progressu ad eandem facilem componendi rationem pertinere: Quando duo nomina diversarum personarum sequitur verbum plurale, nisi particula Adversaria interveniat, tunc ultimæ voci singularis numeri adponitur Verbum singulare. v. c. Pater & Præceptor honorentur. Non solum ejus opes & honores, sed fama quoque perit. Item: Duobus diversarum personarum primæ & secundæ Nominibus

bus

bus adponitur Verbum potiore[m] primam scilicet significans: Ego & frater ambulavimus. &c. Item: Duobus Nominibus diversorum Generum adponitur Adjectivum plurale potioris Generis: v. c. Pueri & puellæ morti sunt obnoxii.

Deinde pergant ad difficiliorem componendi modum, ubi puer notet particulas: Cujus, Cui, quem, O, à quo? verbi causa, liber est fratris, Pater est filius Pastoris, sacerdotis, militis. Dedi librum fratri; Frater optime! da mihi librum tuum. Pater abundat libris. Adjungatur per intervalla doctrina de Pronominibus Relativis imprimis & Reciprocis; Conjunctionibus Ut & quod, item Adverbiis. v. g. rogo te ut des librum fratri meo. Non enim obruendus est animus pueri.

Quibus præmissis componat puer viva voce brevem orationem, quam deinde statim literis consignet. Omittantur autem ab initio difficiliora & in progressu tractetur doctrina de Infinitivis, Supinis, Gerundiis, Participiis.

Hæc non transgrediuntur captum pueri; nam exemplis continue propositis plus proficiet, quam memoriæ mandatis præceptis Grammaticæ, ut fieri solet. Quoad Gerundia & Supina notetur imprimis particula Germanica zu. In Gerundio quaeritur worzu und zu was? aptus loquendo & ad loquendum. In Supino priori zu/ exprimitur melius per wohin/ Eo pransum. In Supino posteriori zu/ exprimitur rectius, zu werden. Turpe dictu, gesagt zu werden.

Eandem componendi viam ingrediantur quoad singulas res earumque proprietates, unde ingens copia loquendi & scriben-

ben-

bendi redibit. Notetur tamen in hac compositione cavendum esse, ne duæ partes orationis diversum componendi modum requirentes ad partem regentem eadem ratione adponantur. v. g. Intentus est ad eum monendum & prospiciendum, pro ipsique prospiciendum.

Quibus præmissis ut puer meliorem globi naturalis imaginem capiat, ostendatur quidam ad similitudinem illius arte hominum confectus, nec non tabula Geographica Germaniam repræsentans. Ostendantur fluvii, lacus, maria, Oceanus, item montes & silvæ celebriores, ab initio fluvii patriam secantes. Assuefiat & hoc modo puer uberiori compositioni, loquatur, scribat & colloquium formet. Deambulet Magister de prandio vel cœna cum puero in litore, pratis, hortis saltibus, & quæ hæctenus memoriæ mandata sunt, arrepta subinde occasione, latinis verbis repetat.

Conducet quoque præcepta Grammatices verbi causa Seyboldi ad manum habere, non ut ediscantur, sed ut quæ memoriæ exciderunt in eam reponantur, & quæ à regula communi aberrant uno quasi intuitu intelligantur. Singula tamen per intervalla, ne obruatur pueri memoria.

Pergant inde ad res arte hominum paratas, initium fiat ab ædibus, quas Magister inhabitat unâ cum puero, notentur nomina ædium & singularum partium, imo & suppellectilis, item earum proprietates, ita domus est alta, ampla, item notet hæc quæstiones wie hoch/ wie breit/ requirere quartum seu Accusandi casum. v. g. Domus est alta centum pedes. Qua occasione doctrina de Numeralibus interseratur, item quæ circa vo-

culam domus observanda: lum domi, venio domo, ubi quaestiones, wo/woher notentur, uberior doctrina ad Urbes pertinet.

Inde progrediantur ad urbem, ejusque partes, aedes publicas, sacras, curiam, forum, plateas, turre, fontes, arcem, ejusque munitiones. Bibliothecam, Armamentarium, horumque omnium partes, item hortos, agros, aquaeductus, piscinas, vivaria, item Artifices, quorum labores vel manu vel ingenio exercenrur, sutores, sartores, fabros, Geometras, Oratores, Grammaticos &c. eorumque instrumenta v. g. scalprum sutorium, filum cannabinum setis praepilatum, quo calcei consuntur. Cheleuma, mustricola, seu forma, cui calceus novus insuitur.

Volumus autem omnia, in quantum fieri poterit, ostendi puero, reservatis iis, quae nondum capere potest; memini enim Batavum quendam non sine ratione taxasse plerosque Germanos, quod pueros nomina rerum, quas non intelligunt, quas non vident, tam anxie cogant ediscere, hincque filios suos ratione, quam modo diximus, informari curasse.

Heic quoque ut antea, loqvatur & scribat puer, notet res, earumque proprietates, hasque cum illis diversimode componat. Idemque fiat quoad singulas voces. Explicentur ipsi ex historia, quae ad orginem & progressum artium pertinent; verbi causa, quo anno, in qua urbe, quo autore ars typographica & quae ferreos globos cum sonitu & flamma bombardis emittere docuit, inventae sint. &c. nec non qui artium liberalium scientia reliquos mortales praestitisse referuntur in historia, Socrates, Plato &c. Paucis ostendatur, necessitati humanae
ori-

originem, avaritiæ & honoris cupiditati artium progressum ut plurimum deberi.

Quibus postquam quasi condita sunt feria, amplioribus paullisper orationibus & colloquiis advescat puer. Magister subinde formet quæstiones latinis verbis, puer iisdem respondeat.

Dicatur nonnihil de eleganti particularum, partiumq; Orationis positione v. g. Genetivum eleganter interseri Adjectivo & Substantivo; Summum hominis bonum. Item eleganter dici, si quis, si quando, ut ne; sparsim tamen; heic enim pure tantum perspicue & proprie loqui discit puer, ut quasi ad oculum exponantur, de quibus sermo est; figuris & elegantis refertum scribendi genus ex autorum lectione hauriendum. Nec minus variato dicendi modo quædam proferre per intervalla jubeatur. A pueris enim advescere multum est. Ordine tamen singula, ne fiat confusio.

Nunc ad res, quæ oculis non subjiciuntur, sed quarum effigies quasi animo depingi potest. Quæ ut in pueri animum immittantur quærat Magister puerum, num probè omnia hætenus animadvertit? num domus, quam perlustravit se ipsa extruxerit & composuerit, num calceus semet ipse confuere, vestis se ipsa conficere possit? si respondeat, singulas, de quibus sermo est, res ab artificibus confectas esse. Quærat unde putet totum globum terræ, & quæ illum ambiunt, aër, coelum, sidera, & quæ illo continentur, homines, bestia, arbores &c. originem duxisse? Heicque doceat ejus artificem esse invisibilem, Optimum, Maximum, infinitum, qui non oculis subjici non intellectu comprehendi, sed tantum corde sentiri possit; sentiri autem

illum; si in corde hominis excitet odium voluptatis, obscœni sermonis impurarum cogitationum, inhonestorum gestuum invidiæ, litium, calumniarum, injuriæ, ambitionis, iracundiæ, & contrà, ardentissimum amorem hominum, beneficentiam, mansuetudinem, grati animi studium, animi submissionem & deinde tranquillitatem lætitiâ, fiduciam in artificis hujus supremi potentia & sapientia. Hominem autem ut id adsequatur, summum ejus desiderium habere & Deum vehementer precari oportere.

Postea exploret Magister, quidnam puer maximè exoptet, quid positis in medio rebus, quas hæctenus vidit & perlustravit, feligere velit, si concessum esset; ubi puer Res ad voluptatem, ambitionem & avaritiam pertinentes, prout à certo quodam animi motu vehementissimè agitur, appetat necesse est. Hæc ex quotidianis pueri aliorumque, quos puer novit, qui eandem domum aut urbem incolunt, actionibus evidenter, amicè tamen & sincerè declaretur, quod nulla vera felicitas his rebus lubricis & vanis consistat, quòd perpetuò turbent animum hominis, eumque curis expungant; referantur ex historia exempla quædam eorum, qui felicitatem suam & quietem in hisce rebus quærentes in summas inciderunt miserias: monstretur deinde, veram demum felicitatem adquiri, si quis corde motum Dei Optimi Maximi percipiat, scilicet est, amorem Dei & hominum, & odium voluptatis, avaritiæ & ambitionis.

His adjiciatur: quam modò exposuimus, veram felicitatem homines docuisse Jesum, hominem quidem, sed divina virtute unum omnium maximè instructum, & filium Dei, imo De-
um

um laudatum, in secula appellatum in sacro Codice, quod dicta gesta que ejus recensentur. Ante ipsum fuisse Prophetas, qui eandem veritatem, sed non tam clarè atque evidenter, nec tanta vi & efficaciam innocentiam conjunctam proposuerint. Post ipsum discipulos ejus in omnem terrarum orbem divinam istam veritatem propagasse, quæ singulari providentia Numinis Optimi, Maximi ad nostram quoque ætatem pervenerit. Ab illo, ut & Prophetis & Apostolis prædicta esse multa multis ante seculis, quam evenerunt. Multa tamen ad convictionem omnium evenisse & quotidie evenire; multa quoque restare, quæ suo tempore certissimè consecutura sint.

Dicatur de primorum Christianorum vita sancta, castitate, temperantia, animi submissione, jejuniis, patientia calamitatibus, suppliciis propter vitam sanctam irrogatis, de extincto sanctè vivendi ardore, florentibus Christianorum rebus sub Imperatoribus & Regibus ad externam doctrinæ Christi confessionem conversis. De corrupta puriori doctrina per hæreticos, de ejus restitutione per Reformatores. Hæc quoque notet nomina singularum rerum & proprietatum, loquatur, scribat, componat. Ut brevem quoque rerum civilium cognitionem consequatur; Magister ipsi monstret Rusticos seu ruricolos, Cives, Nobiles, eosque singulos per certos Magistratus gubernari dicat; Rusticos nimirum per prætorem in Prætorio; Cives per Senatum in curia, Nobiles per Consiliarios Principis; Prætorem autem & senatum à consensu Consiliariorum, hunc ab ipso Principe dependere; penes hunc esse summam rerum; hunc per ministros suos gubernare subditos,

cum solus non possit. Explicentur actiones Principis ejusque Ministrorum & Magistratum, verbi causa, bellum gerere, foedera pangere, jus dicere, poenas irrogare, iisdemq; absolvere. Item proprietates: Princeps justus, potens, opibus & armis valens. Consiliarius prudens, in Principem fidelis, res suas privatas rebus publicis anteponeus.

Porro Principem esse membrum Imperii Germanici, cujus caput Imperator est Romanus; hincque in comitiis habere jus dandi suffragium suum. Notentur faciliora de constitutione & divisione Imperii Germanici, de ejus origine, Imperatoribus, & tandem quatuor amplissimis Imperiis, quæ Monarchias vocant.

Ex his, quæ oculis quodammodo subjiciuntur, colligitur notitia de Monarchia, Aristocratia, Democratia; ut puer intelligat, non unam eandemque esse gubernandi formam. Adponatur brevis historiae Patriæ delineatio & stirps Principis reducatur ad suam originem licet non remotissimam. Ostendantur regiones Principis, ut & tota Germania in Tabula Geographica. Heic Magister optimam occasionem adsequetur de rebus jucundissimis cum puero quotidie colloquendi, easque vernaculâ dictandi latinè vertendas.

Præparato satis animo non taxandus videretur, qui puero vitas excellentium Imperatorum prælegeret, propter æquum, facile & elegans scribendi genus, ubi non verba captet, aut integras tantum dicendi formulas excerpit, sed modum exprimendi, auspiciandi & finiendi variandique sermonem, nec non verba eleganter ponendi rationem, item numerum & sententiis

Ora-

orationem condiendi modum diligenter notet. Adjiciantur aliquot dialogi Ciceronis ad familiare loquendi genus pertinentes; omittantur, quæ in Ciceronis scriptis ad Juris & Philosophiæ scientiam spectant; rerum enim quas puer non capit nomina & descriptiones cum tædio & sine fructu discit. Adjiciantur aliquot epistolæ faciliores. Quæ omnia ita tractentur, ut unius ejusdemque auctoris scripta continuè legantur non turbante eorum lectionem neque Poëta neque alio Historico, usque dum omnia bene in usum suum converterit; tum demum alius ad hoc æquum dicendi genus proximè accedens adhibeatur verbi causa Julius Cæsar in quo exprimendi eleganterque ponendi formulas æque notet; ita tamen ut Cornelii opus subinde repetatur, quod à Viro in maxima propter eloquentiam celebritate versante nempe ut quantum à negotiis otii restat, libro Cornelii de vitis Excellentium Imperatorum duabus semper hebdomatibus perlegendo, impendat, fieri, valde gaudeo. Quod si quando puer vitam Imperatoris Romani aut Germani scribat, non verba capter, nec integras sententias scripto suo interferat; sed quem modo diximus exprimendi, auspicandi &c. modum aliis quoque verbis imitetur. Scilicet si quid scribendum est, non ex centum indicibus auctorum loquendi modos, quos Phrases dicunt, compilet, ut communiter fieri solet. Jubeatur quoque in posterum seqvi hoc planum & perspicuum scribendi dicendique genus, si natura & ingenium patiat; sin minus; seligatur puero secundum Temperamenti (complexionem & convenientiam primarum pueri qualitatum ita vocant) constitutionem, quam intelligere Magistrum de-

de-

debet, autor vel concisus vel amplius scribendi genus sequens quem legat, ibique modum exprimendi, auspicandi, finiendi, transponendi, variandi notet. Et quoniam quò plura sunt inspecta sedulò exempla, plus eloquentia perficitur, non est unus, quamvis præcipuus sit, imitandus, quia nunquam par fit imitator auctori, hæc natura rei est, semper citra veritatem est similitudo, ut Seneca Præfatione ad controversias loquitur: Igitur non negligendi reliqui, qui boni sunt, autores, & si quid eleganter accuratèque dictum, ad usum convertendum. Unum tamen imprimis ad manus habere oportet, in quo numerum & proponendi modum observet; ne diversitate autorum animus obruatur & distrahatur.

Paucis monendum: dictum in fronte opusculi nostri, quod ad perfectè loquendum & scribendum puer possit institui, non ita capiendum, quod omnem materiam ad stylum pertinentem, quod est, dicendi scribendique copiam variationem & elegantiam tam brevi tempore exhaurire, sed de plerisque rebus breviter purè & proprie loqui & scribere possit.

Vale. dabam Francofurti ad Moenum, Calend. Januar.

M. DCCIII.



Coll. diss. A. 125, muse. 58